



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *GUATIMALENSIS*

(*ESCUINTLENSIS*)\* QUODAM SEPARATO TERRITORIO AB ARCHIDIOECESI GUATIMALENSI,  
NOVA CONDITUR PRAELATURA, NOMINE «ESCUINTLENSIS». De animorum bono quam qui maxime  
sollicitus, putavit venerabilis Frater Noster Marius S. R. E. Cardinalis Casariego, Archiepiscopus  
Guatimalensis, haud parum utilitatis fidelibus suis provenire si, diviso territorio archidioecesis suae  
amplissimo, nova ibi locorum ecclesiastica circumscrip<sup>t</sup>io constitueretur. Cumque, post auditum  
hoc super negotio Episcoporum Guatimalensium Coetum, ut votis suis ac precibus accederemus  
a Nobis petierit, libenti Nos animo sequentia decernimus ac iubemus, de sententia quidem sive  
venerabilis Fratris Hieronymi Prigione, Archiepiscopi titulo Lauriacensis atque in Republica  
Guatimalensi Apostolici Nuntii, sive venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui  
Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt. Ab archidioecesi Guatimalensi territorium  
seiungimus civilis provinciae seu Departamento vulgo Escuintla, eoque novam praelaturam  
condimus, *Escuintlensem* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac civilis qua constat  
provincia. Constitutae praelatura sedem in urbe Escuintla poni volumus, in eaque quod exstat  
curiale templum, Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae, tamquam  
praelaticum haberi, cum iuribus congruis. Praelatus autem Ordinarius praeterquam quod iustis  
iuribus fruetur, propriis etiam obligationibus tenebitur, iuxta Codicis Iuris Canonici leges et  
praescripta. Escuintlensem praeterea praelaturam suffraganeam metropolitanae Sedi  
Guatimalensi facimus, eiusque Praelatum Ordinarium eiusdem Ecclesiae Archiepiscopi  
iurisdictioni obnoxium. Mensam praelaticiam, quam dicunt, efficient Curiae emolumenta, a  
fidelibus sponte oblatae pecuniae atque bonoruro pars, quae ei obvenient ad normam canonis  
1500 Codicis Iuris Canonici. Ad Seminarii aedificationem quod attinet alumnorumque sacrorum  
institutionem serventur normae iuris communis atque decreti Concilii Vaticani II «*Optatam totius*»,  
peculiaresque Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica leges. Quod insuper spectat  
regimen et administrationem conditae Ecclesiae, Vicarii Capitularis, Sede vacante, electionem  
aliaque id genus, religiose quae sacri canones praescribunt serventur. Simul ac praelatura  
Escuintlensis constituta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi addicantur, in qua beneficium vel  
officium habeant; ceteri autem sacerdotes Seminariique alumni ei, in qua legitimo domicilio  
degant. Acta denique et documenta novam praelaturam respicientia ad eius Curiam mittantur in  
tabulario custodienda. Ea tandem quae praescripsimus ut ad effectum adducat curet venerabilis

Frater Bieronymus Prigione, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero negotium perfecerit ad Sacram Congregationem pro Episcopis congrua documenta de more exarata mittat, signata atque sigillo impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, curo per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri preferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens*

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*  
Iosephus Massimi, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 13, pp. 764-766

© Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana